

Lunae die 20° m. Augusti

a.d. XIII Kalendas Septembres

FOLIOLUM LATINUM SECUNDO QUOQUE MENSE EDITUM.

~~Responsabiles~~
 Editrices ~~obnoxiae~~ : Francisca DERAEDT et Diana LICOPPE.

RESPONSABLES

DIANA FRANCISCAQUE DISCIPULIS IUNIORIBUS SALUTEM PLURIMAM DANT.

Si valetis, bene est, nos valemus.

 Ecce tandem foliolum Latinum promissum et ab omnibus tam expectatum :
 X MELISSA IUNIOR quae vos ~~sequetur~~ ^{comitabitur} per totum annum scholare.

 Vos ~~vobis~~ ^{Vos} rogamus ut Melissae alveare nobiscum aedificetis. Quomodo? interro-
 gatis. Vobis explanabo. Exempli gratia imaginibus illustrando textum Phaedri
 fabulae quem vobis proponemus. Quod fecerunt tres discipuli e collegio Sancti
 Michaelis Bruxellensis de fabula cui titulus est "CORVUS ET VULPES". Optima ^{omnium}
 delineatio divulgabitur cum auctoris et scholae nomine.
 Textum proxima fabulae propositae erit :
CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.
 Canis per flumen carnem quum ferret natans,
 lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
 aliamque praedam iam ab alio ferri putans
 eripere voluit ; verum decepta aviditas
 et quem tenebat ore dimisit cibum
 nec quem petebat adeo potuit tangere.

 Vos etiam rogamus ut inscriptiones Latinas exquiratis ex omnibus rebus
 vitae ~~quod~~ quotidianae exempli gratia ex diariis vel periodicis, ex praeconiis, ex
 omni capsarum genere, velut sigarellorum capsulis vel ceteris locis. Inventa
 vestra ad Melissam mittatis, cum nomine et inscriptione cursuali. Illis, qui
 primi aliquid novi miserint, etiam MELISSAE subnotatio erit gratuita in annum.

 Magna ^{num} cum expectatione speramus ergo vos participaturos esse Latinitatem
 vivam, quam ~~experietis~~ ^{experiemini} et iucundissimam et utilissimam esse.

 Aliqua ¹² folia Latina iam exstant, exempli gratia "NUNC EST GAUDENDUM", a
 Jacina Verreet discipulisque eius edita. Illa folia, anno praeterito, inter
 1 commentariorum scholarium certamen, quartum pretium consecuta sunt. Qua de re
 illis valde gratulamur. Etiam sunt in Italia folia iucunde imaginibus illus-
 trata quibus nomen est "ADOLESCENS" et "IUVENIS" a ^{Domino} Lamberto Pigini edi-
 ta. ^{Adq. mens} ^{H 20}

Sed, ut ad nostram MELISSAM reveniamus, haec per totum annum legere cum magistris vestris poteritis. Subnotationis annuae pretium est centum franci Belgici (100 F.B.).

Speramus vos lectores et adiutores strenuissimos futuros esse.

Curate ut optime valeatis et bene ^{incipietis} incipiatis hunc novum annum scholarem.

ERAT OLIM IN OLYMPO...

... DE OLYMPIORUM DEORUM NATU.


In initio mundi erant deus et dea, Uranus et Gaia, qui multos habuerunt liberos. Qui sunt Titanes. Ex iis Cronos patrem suum expellit regno et dominationem arripit. Rheam, sororem suam, uxorem, more divo, ducit.

Cronos, propter parentum praedictionem, liberos suos timet et, quotienscumque Rhea parturit, pauperrimum lactantem comedit. Sic eduntur Hestia, Demeter, Hera, Pluton et Posidon.

Propter ludum verborum inter verba Graeca, quae sunt "Κρόνος" (= Cronos), deus et "χρόνος" (= chronos), tempus, Cronos ipse exprimit tempus quod omnia, inexorabiliter progrediens, devorat. Artifices eum effingunt fortem senem longa albaque barba praeditum, amplis alis, dextra falce et sinistra clepsydra munita. Alis facilius it, falce nihil in itinere relinquit, omnia delet et clepsydra horas computat.



Aliquando Rhea tertia vice filium gignit eumque servare vult. Lapidem ergo fasciis involvit eamque ut cibum dat marito. Deinde filius eius, parvulus Zeus in insulam Cretam ducitur et in Montis Dictaeantro absconditur. Ibi capra Amalthea apisque Melissa illum tenerum infantem alunt magna cum cura.



Corybantes, qui Cybelem currendo, saltando et gladiis violenter scuta verberando colunt, vagitus eius vincunt.

Aetate adulta, Zeus Crono dat remedium a Mete praeparatum quo vomit liberos. Quos Zeus adducit ad bellum gerendum cum Crono Titanibusque.


Decimo anno, Zeus victor rex deorum fit et sedem in Monte Olympo locat.
Sic incohatur Olympiorum deorum regnum.

FABULAE NOSTRARUM REGIONUM.

DE ASININA PUELLA.

Erat olim rex qui omnia amoena habebat. Regnum eius erat pulchrum, latum tranquillumque, populares boni honestique. Ei etiam erat uxor virtutum plena quae dulcem filiolarum regiam gignit.

In pulcherrima regiae parte habitabat asinus mirificus qui aureos nummos dabat. Regem eo modo divitem faciebat ut populus felix esset.



Aliquando tamen regina in morbum mortalem cecidit. In extremis suis temporibus maritum oravit his verbis :

- Si iterum uxorem ducis, fac, precor, ut illa easdem virtutes ac ego habeat.

Rex promisit dicitque se id numquam facturum esse. Etenim reginam mortuam tantum flevit ut nulla consolatio luctum eius levare posse videretur.

Paucis tamen mensibus post, animum inducit uxorem iterum habere. Nulla enim easdem bonas artes habebat ac regina, nisi filia ipsa, venusta et amabilis puella.

Rex, a vetere eremita insano monitus statuit ut filia propria uxor fieret. Quae stupefacta ad matrinam, magam mirabilem, it.

Illa hanc fecit propositionem :

- Eum aliquid, quod fieri nullo modo potest, roga : exempli gratia vestem tempestatis colorem imitantem.

Rex de petitione certior factus ad omnes optimos vestifices votum rettulit et iussit vestem quam citissime parari.

Post duos tantum dies vestis perfecta allata est. Qualem splendorem! videbatur esse caerulea ut caelum, aurea ut sol, rosea ut nubes et limpida ut aqua.

Matrina puellae opus admiratae attonitaeque insusurravit :

- Eum vestem iterum roga, lunae colorem imitantem.

Rex de petitione certior factus ad omnes optimos vestifices votum rettulit et iussit vestem quam citissime parari.

Puella, quadriduo quo hanc petivit, admiratione capta spectavit vestimentum quod ex argento stellisque factum videbatur.

Haec cum ei essent, matrina tertiam fecit propositionem :

- Eum nunc vestem roga, solis colorem imitantem.

Rex de petitione certior factus ad optimos gemmarios aurificesque votum rettulit et iussit vestem quam citissime parari.

Artifices celerrime opus confecerunt. Sic puella caecata, biduo quo hanc petivit, vestimentum margaritis gemmisque pulcherrimis ornatum, artis miraculum, accepit.

- Quid faciam! deliberat puella. Omnia dona insolita iam accepi.


- Ita est consentit maga. Dum asini auriferi gratia tam dives est ut vestificibus et artificibus pecuniam det, petitiones tuas solvet. Roga ergo eum illius asini pellem.

Sequitur.


PAGINA DISCIPULORUM : E PHAEDRI FABULIS : VULPIS ET CORVUS.

Delineaverunt Vincentius, Thomas Alanusque Licoppe.


Qui se laudari gaudet verbis subdolis
fere dat poenas turpi paenitentia.



Cum de fenestra raptum ca-
seum comesse vellet celsa residens
arbore, vulpes ut vidit blande sic
coepit loqui :





O qui tuarum, corve pennarum est nitor!
Quantum decorem corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.



At ille stultus dum vult vocem ostendere,
emisit ore caseum, ...

... quem celeriter
dolosa vulpes avidis rapuit denti-
bus. Tum demum ingemuit corvi
deceptus stupor.



Hac re probatur, quantum ingenium polleat ; virtute semper praevalet sapientia.